

## CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

**Roma. 14** **I**N primis autem qui huic muneri intentus est, docebit confitentem, ne ambiguis ac perplexis sermonibus se remoretur, & percontando cogatur velut expiscari crimina (quod sæpenumero periculosum est) sed simpliciter, tanquam coram deo aperiat lethalia crimina, & quæ conscientiam onerant ac ledunt, quod ea quæ contra conscientiam aguntur, ædificent ad gehennam. Atque ibi maxime opus est sacerdote iudice, discernente inter lepram & non lepram.

Remedium pro ratione morbi adhibendum. Cap. XXXV.

**1. Thess. 5**

**Q**uod omnibus Christianis præcepit Paulus dicēs: Rogamus autē vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Hoc eum qui a confessionibus est maxime convenit observare, nimirum ut consolando erigat pusillanimes per immensam dei misericordiam, Præfactos autem obiurget, tremendumque dei iudicium ante oculos ponat, Denique uti prudentissimus medicus, pro morbi qualitate temperabit medicinam, obfuturus magis quam profuturus, si putaverit vno collyrio omnium mederi morbis. Monendi ergo qui confitentur, singuli secundum ordinem, statum ac ætatem, atque id per locos quosdam communes, ex scriptura de promptos, quos in numerato habere debet parochus.

Nimis anxij quomodo tranquillandi. Cap. XXXVI.

**Psalm. 18**

**Q**ui nimis anxij sunt in repetenda confessione vel iteranda, apud alium sacerdotem, vel etiam in enumerandis circumstantijs, quales sunt quidam, qui quantumvis confitendo, conscientiam tamen vix tranquillare possunt, docendi erunt, deum (cui omnia parent) sinceritatem tantum cordis a nobis requirere, nec tam seuerum esse exactorem, qui cōscientiam ob vnam vel ob aliam delicti circumstantiam, inter confitendum non dedita opera neglectam, perpetuo turbatam esse velit. Nam quis omnes erratus suos enumeraverit? quemadmodum David ait. Delicta quis intelligit, Ab occultis meis munda me domine.

Moderatio in casibus referuatis. Cap. XXXVII.

**I**n occultis delictis ex referuatione casuum compertum habemus, non nihil mali interdum accidere, Vel quod peccator non habens in promptu sacerdotem, qui illum absoluat, confiteri vel differt vel contemnit, vel quod qui minores ætate sunt, vel mulieres difficile adducantur, ut ex suis parochijs non sine leui suspicionem ad nos seu commissarios nostros proficiantur. Quare ut consulamus & verecundiæ & famæ, visum nobis est, hanc potestatem nostram absoluendi a peccatis & casibus nostræ absolutioni referuatis (occul- tis tamen) omnibus parochis per diocësim nostram constitutis, rite vocatis, delegare, Modo tamen Vicariorum nostrorum in pontificalibus consilium requi-